



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115



EXCERPTVM

DE GESTIS ROMANO- RVM PONTIFICVM EX LI-

BELLO, QVI CONTINET GESTA ROMANO-
RVM PONTIFICVM, QVAE DE SINGVLIS EORVM SVO

ordine vtilia posteris iudicavit ALBO Floriac.* breuiter ac v-
tiliter decerpit, secutus veritatem DAMAS, Romanæ
Ecclesiarum Pontificis, qui eundem libellum scripsit roga-
tu Hieronymi diuinæ legis interpretis.

*erasmusras
in MS. Mo-
nachi, vol
Abbatis.

I.

BEATVS PETRVS, princeps Apostolorum, Antiochenus, filius Ioannis, prouinciae Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ, primum tenuit cathedram Episcopatus in Antiochia annis 7. & post in urbe Roma annis 25. mensibus 2. diebus 3. Hic ordinauit tres Episcopos, Linum, Cletum & Clementem. ex quibus, Linus & Cletus præsentialiter omne ministerium sacerdotale in urbe Roma populo superuenienti exhibuerunt, dum ipse Petrus orationi & prædicationi vacaret. Clementi verò cathedram, vel Ecclesiam omnem disponendam commisit. Post hæc martyrio cum Paulo coronatur post passionem Domini, anno 38. & sepultus est via Aurelia in templo Apollinis iuxta locum, ubi crucifixus est, in Vaticano, 3. Kalend. Iulii.

II.

LINVS, natione Italus, regionis Tuscianus, patre Herculano, sedet annis 11. mensibus 3. diebus 12. Et constituit, ut mulier in Ecclesiam velato capite introiret; martyrioque coronatus sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano, sub die 9. Kalend. Octobr.

III.

CLETVS, natione Romanus, de regione vici patritii, patre Amyiano, sedet annis 12. mense 1, diebus 11. Martyrioque coro-
natus,

Q

natus, sepultus est iuxta corpus B. Petri, 6. Kalend. Maias. Et cessauit Episcopatus diebus 30.

IV.

CLEMENS, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Faustino, sedit annis 9. mens. 2. diebus 10. Et fecit duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur. Hic dum nonnullos libros zelo fidei Christianæ religionis adscriberet, exilio relegatus est, martyrioq; coronatus, sepultusq; in Græcia, 8. Kalend. Decemb. & cessauit Episcopatus dies 21.

V.

ANACLETVS, natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho, sedit annis 9. mens. 2. dieb. 10. qui & memoriam B. Petri Apostoli construxit. vbi tamen & ipse sepultus est iuxta corpus eius. Et cessauit Episcopatus dies 13.

VI.

EVARISTVS, natione Græcus, ex patre Iudæo, nomine Iuda, de ciuitate Bethlehem, sedit annis 9. mens. 10. dieb. 2. Hic titulos in vrbe Roma diuisit, & 7. diaconos ordinavit, qui custodirent Episcopum prædicantem, propter stylum veritatis. Et sepultus est iuxta corpus B. Petri Apostoli. Et cessauit Episcopatus dies 18.

VII.

ALEXANDER, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput tauri. sedit annis 10. mens. 7. d. 2. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici in habitaculis hominum. Qui sepultus est via Numentana, vbi decollatus est, ab vrbe Roma non longè milliario 7. 5. non. Maii. Et cessauit Episcopatus dies. 35.

VIII.

SIXTUS, natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Vialata, sedit annis 10. mens. 2. die uno. Hic constituit, ut ministeria sacra non tangerentur, nisi à ministris. Et, ut quicunque Episcoporum euocatus tuisset ad Sedem Apostolicam rediens ad parrochiam suam non lusciperetur, nisi cum formata. Qui & ipse sepultus est iu-